

Antoninus Damanus

## **Xenia Natalitia Puero Jesu, A. D. Anni Dominici M DC XXIV.**

Hamburgi: Langius, 1624

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn769157254>

Druck Freier  Zugang





*F.m. - 3661<sup>1-3.</sup>*

*F. m. 366<sup>1</sup>-3.*



XENIA  
NATALITIA  
PUERO IESU,

A. D.  
*Kalendas Januarias*  
*Anni Dominici*

---

CLC IXC XXIV.  
A<sub>2</sub>  
ANTONINO DAMANO  
BELGA.



HAMBURGI Typis LANGIANIS.

VIRIS PRÆSTANTISSIMIS;

*Clariss: Excellentissimog, Dno:*

DN. PETRO LAUREMBERGIO  
PHILOSOPH. AC MED. DOCT. ET IN  
Hamburg. Gymnasio Professori;

*Reverendo multum Eruditissimog, Dno.*

DN. M. VALENTINO WUDRIANO  
ADD. PET. APUD HAMBURG.  
PASTORI;

*Reverendo pariter ac juxtà doctiss: Dno.*

DN. M. JOACHIMO ARPIO,  
Ad.D. item Petr. Ecclesiastæ;

*Clariss: Consultissimog, Dno.*

DN. MARTINO FECHTIO J. U. L.  
Et S. P. Q. H. SECRETARIO;

*Apollinei simul Collegij Quatuor Viris, bona-  
rumq, Musarum Hospitibus Elegantiss:*

DNIS. SUIS AC PATRONIS  
HÆC

NATALITIA AD PUERUM JESUM  
XENIOLA

*Pro publico devoti animi pignore ac testimonio.  
Adeog, cultus ac clientela,*

*A. D. Kalendas Januarias*

ANNI CHRISTIANI clō Idc xxiv.

*Affert, Offert*

ANTONINUS DAMANUS  
BELGA,




**R**ogans, ut admittantur a-  
nimò, quò mittuntur; de-  
inde VOTA cumulans & in-  
geminans pro ANNI NO-  
VI ingressu lato: Quem deinceps  
Temporum OPT: MAX: Dispen-  
sator procedere jubeat virentem  
plantis, comanté floribus, olentem  
aromatis, coronatum spicis, torqua-  
tum pomis, gravibus pampinis in-  
umbratum, dextrâ pro Sceptro Ra-  
mum Aureum, Cornu sinistrâ omni  
inundatum copiâ protendentem:  
Serò tandem, tandem tamen baju-  
lum PACIS adeò suspiratæ; aut, si non  
bajulum, certè nuncium ipsius è  
proximo venientis.

*Era ferant, quibus EST; Versum, quibus omnis  
in illo*

*Census. & obsequii carmina pignus habent.*

A 2

CRE-



## CREPUNDIA

 PUERO JESU IN  
 PRÆSEPI.


*Q*ua, corda, manus leta,  
 Dulci canticò ciete,  
 Parvulum, qui natus est;  
 Ora voce, corda votò,  
 Organòq; manus motò  
 Filium, qui datus est.  
 Filium, quem Pater dedit;  
 Parvulum, quem Mater edit  
 Partu ineffabili:  
 Pater, author seculorum;  
 Mater, quæ nescivit thorum,  
 Lege Virgo stabili.  
 Illum Pater sine matre,  
 Illum Mater sine patre,  
 Binaturem filium;

Pater

Pater olim, Mater modò  
Integrò pudoris nodò

Rosa parit Liliùm.

Eja, Liliùm decorum

Super omne decus florum,

Liliùm convallium;

Nostræ velum carnis vile,

Nostrî causâ, & exile

Induisti pallium.

Eja, Liliùm decorum,

Arbapacis, fons bonorum,

Lux & vita cordium;

Te laudare cupit homo

Natus in terrenâ domò,

Tot cloaca sordium.

Te laudare cupit homo,

Quem peremtum Pater pomò

Morti fecit pabulum.

Nam hæc tuæ causa via,

Puer Sancte, Puer Pie,

In hoc triste stabulum;

A 3

Vita

Vita Mortem ut occidas ;  
 Caput Anguis ut elidas  
 Almæ SEMEN FEMINÆ ;  
 Ut nos eluas peccatis  
 Illò rore caritatis ;  
 Nosq; tui semine  
 VERBI tingas & resingas ;  
 Sanguinisq; fusi pingas  
 Purpurisq; nobili ;  
 Ornes, instruas, emundes ;  
 Mentis arcem petrâ fundes  
 Nullò flatu mobili ;  
 Ut torrente voluptatis  
 Nos inundes, vitæ gratis  
 Ad æternæ scatebras,  
 Turpis antri specu repis  
 Factus incola præsepis,  
 Et bas quaris latebras.  
 Ne periret homo reus,  
 Homo factus es, ô Deus,  
 Et Puella Filius :

Casum

*Casum carnis ob acerbum*

*Carnis induisti VERBUM*

*Tegmen ignobilius.*

*Salve, VERBUM, Salve, CARO;*

*Salve Partu cum præclaro*

*Mater DEI-HOMINIS:*

*Salve, speciosum Lumen,*

*Stella Jacob; Salve, Numen*

*Gloriosi nominis.*

*Salve, Vita; Salve, Decus,*

*Qui amissum olim pecus*

*Refers & latificas.*

*Salve, Salus: salve, JESU,*

*Qui nos pulchri Panis esu*

*Pascis & vivificas.*

*Salve, regum REX pusille,*

*Cui dies anni-mille,*

*Sine ortu ortus est:*

*Cujus nullò fine atas*

*Temporum excellit metas;*

*Cui regnum portus est.*

A 4

Regnum

Regnum vitæ, regnum pacis,  
 Quò nos tecum efficacis  
 Passionis meritò  
 Sub insigni tuæ Crucis  
 Inferes, Origo lucis,  
 Facilis præterito.  
 Salve, PUER supra laudem;  
 Nec in tuæ laudis fraudem,  
 Fiat, quòd te canimus.  
 Nam quis voce dignâ canat  
 PETRAM, unde stilla manat,  
 Quâ vivescit animus?  
 Præsta, dignè te laudemus;  
 Quem laudamus, ut amemus:  
 Ibi salus sita est.  
 Te laudare pulchrum opus;  
 Te amare verus scopus:  
 In utroque vita est.  
 O mi dulcis & benigne,  
 Illò meum pectus igne,  
 Triste, durum, frigidum  
 Ure,

Ure, mitiga, solare,  
 Jugum tuum ut portare  
     Non sit illi rigidum.  
 Fac, ut onus non sit grave,  
 Sed jucundum & suave,  
     Quod imponis humeris.  
 Quod imponis, ipse geris,  
 Dum pro nobis iter teris  
     Mortis, & consumeris.  
 Eja, Puer speciose,  
 Sint hæc tibi vota rose;  
     Vota te canentium:  
 Quibus spargimus natalem,  
 Lectum Regis, & vitalem,  
     Noctem morientium.  
 Rosas ille poscit lectus;  
 Noctem illam decet textus  
     Corollarum floridus.  
 Sanguis rose candidorum  
 Nive castâ liliorum  
     Temperetur voridus:

A 5

Hya.

Hyacinthi cum narcissò,  
 Viola cum futvâ byssò  
 Africani germinis  
 Sisti tam felici borâ,  
 Tam beatis sine morâ,  
 Debuère terminis.  
 Sed hanc speciem bonoris  
 Horror brumæ ferioris  
 Invidet quarentibus:  
 Hyemis rugosa larva  
 Flore viduavit arva  
 Et plantis virentibus.  
 Omne decus fugit agrò  
 Aë tum boreali flagrò,  
 Omnis hortis gloria.  
 Tamen GERMINIS ELECTI  
 Pullulationem tecti  
 Nostra carnis scoriâ  
 Nulla stabra potuère,  
 Frigorave prohibere:  
 Ecce pulchra nascitur

VIR-

VIRGA de RADICE JESSÆ,

Unde rebus venit ESSE,

Unde Mundus pascitur.

Ille florum flos & princeps;

Jura Mortis qui deinceps

Frangit, & imperium:

Qui aculeum peccati

Conterit, & venenati

Auguis deleterium.

Tot in unô flore bona,

Tot ab unô stirpe dona,

Tam beata munera

Cape, Soboles Adami

Morsu posteris infami

Cumulantis funera.

Cape grata; lata plaude;

Jam sperare vitam aude

Et cœleste solium.

Apage, Tyranne Mortis;

Infer aliis nunc hortis

Fraudis tua lolium.

Quibus

Quibus ille Flos in hortis  
 Locum cepit, tuæ sortis  
     Turba nullus locus est.  
 Lumen hic cacutienti  
 Flos, & vitæ morienti,  
     Et rigenti focus est.  
 Focus sanctæ caritatis,  
 Quò qui calet, calet satis,  
     Neque sentit glaciem. :  
 Sed securus à tormentis  
 Animam bis occidentis  
     Culpæ spernit aciem.  
 O mi JESU, me fac urat,  
 Donec hyems vitæ durat,  
     Tam felix incendium.  
 Fac, me pigeat dierum,  
 Ut in lucrò ponam rerum  
     Omnium dispendium.  
 Fac, ut illò pectus igne  
 Fervens, tibi castum dignè  
     Præbeat hospitium.

Ut

*Ut sint cuna meum pectus*

*Et quietis tibi lectus,*

*Fac abesse vitium.*

*Has dignare magis cunas,*

*( Ubi Amor ignit prunas*

*Caritatis flamine, )*

*Quàm præsepe tam rimosum*

*Et mapale pruinosum*

*Rarò fatus flamine;*

*Ibi fasciis involvam,*

*Nec amplexu dulci solvam*

*Pusionem coelicum.*

*Fides cunas agitabit;*

*Spes fovebit; allallabit*

*Epos amor melicum.*

*O, qui summò descendisti,*

*Ut nos imos fatò tristi*

*Eruas propitius,*

*Cordis hujus in cubili,*

*Puer, dormi licet vili,*

*Et quiesce mitius.*

*Dor-*

*Dormi, Puer. Nam quæ cura  
Somnum vetat immatura,*

*Nec sinit quiescere?*

*Dormi, Puer: Hi sunt dies,*

*Quos amica decet quies,*

*Quos nefas lacessere.*

*Dormi. Quid vagire pergis?*

*Quid ocellos fletu mergis,*

*Rerum suavissime?*

*Quid molestiarum angit?*

*Quis te mali sensus tangit,*

*Infans mellitissime?*

*Scio. Grandibus nunc illæ*

*Lachrymis praludunt stillæ.*

*Hi tenelli gemitus*

*Quos in stipite pendentis*

*Nec ferenda patientis*

*Præloquuntur fremitus?*

*Hujus ego tanti mali*

*Nempe causa, tam fatali*

*Debitus supplicio.*

*Dum*

*Dum in caelos gradum struis,*

*Nempe meum scelus luis*

*Liber à flagitio.*

*Parce, Puer, & ignosce;*

*Neu me'tuū reum posce,*

*Nisi temet Judice.*

*Nil, te Judice, formido;*

*Vel tam noxius confido*

*Te absolvi judice.*

*Nam quis veniam desperet,*

*Hanc si à Puellō quaret*

*Tam donare facili?*

*Sed si quaret ut puellus,*

*Sibi vilis & catellus,*

*Animoq; gracili.*

*Odit ille Parvus magnos,*

*Amans sine - fastu - agnos,*

*Corde sine felleo.*

*Pone cornua dejectus,*

*Si venire vis acceptus*

*Pupulo tam melleo.*

*Mites*

Mites humiliq; corde,  
 Omni mundat ipse sorde,  
 Et pro suis reputat.  
 Tales amat, fovet, regit,  
 Pascit, auget, seruat, tegit,  
 Atque regno deputat.  
 Sic nos ama, Puer ingens,  
 Tui sanguinis nos tingens  
 Pretiosô flumine,  
 In hoc regnum altæ pacis  
 Nos attolle, tuæ facis  
 Præeunte lumine,  
 Gloria sit Patri Deo,  
 Qui pro Mundô Natum reô  
 Nasci iussit feminâ:  
 Cum Spiratô quoque Nato,  
 Qui nos, sese morti datô,  
 Morte solvit geminâ.  
 AMEN.

NOX

## NOX ADMIRABILIS.



Mirabilium Nox prodiga ! Terra fit  
 Æther,  
 Mater virgo, Pater Filius, Author  
 opus.

Cujus Voce dies illuxit prima, recenti  
 Jam primam numerant ultima sæcla diem.  
 Cujus erat semper, nec origine constat Origo,  
 Nox ea principium jussit habere suum.  
 Nascitur Æternus: Qui cœpit tempora, cœpit  
 Tempore: Quem cœlum non capit, arca capit.  
 Arca brevis, qualem vili manus inscia truncò  
 Excidit gregibus vas - epulare suis.  
 Fons vitæ, nostrâ vitam pro morte daturus,  
 Jam quoque, vim fati quò patiat,ur, habet.  
 Omniparû & nullis VERBUM memorabile verbis  
 Est CARO: Vir Puer est: Est HOMO, qui  
 DEUS est.  
 Est Agnus Pastor; què Mundus adorat alumnus,  
 Ecce trahit cupidis ubera casta labris.  
 Floret Hyemis: Tenebræ lucefcunt: cantat Olym-  
 Magnifico tanti nuncius ore boni. (pus,  
 O mirabilium Nox prodiga ! Maximus illis  
 An majora Deus, vel meliora dabit?  
 Quid: dabit? An poterit, quamquam sine fine  
 Potentis,  
 Vel majora Manus, vel meliora Favor?  
 Unum prodigiis sed abest, Nox prodiga, tantis:  
 Ut stabulum fiam, qui pecus usque fui.

B

LITI-

*Litigium Diei cum Nocte*  
*DOMINO nascituro.*

**L** Una recens decimâ sinuabat cornua flâmâ,  
 Ex quô Virgineum turget & urget Onus.  
 Pugna fit, & magnus Noctemque Diemque tu-  
 multus

Conferit; hic pariat, vel magis illa Deum.  
 Exercent calidum convitia rauca duellum:  
 Est (ait ille) meus. Est (ait illa) meus.

**D.** Quid? LUCEM pariant tenebræ tempora No-  
 ctis?

**N.** Et mea conceptû tempora Lucis habent.

**D.** Scilicet hoc querimur. quin, ambitiosa, faceffis;  
 Meq; meas pateris jam quoq; ferre vices?

**N.** Sat tibi nempe tuâ formosus luce videris.

Nempe PUER fastus nutriat ille tuos?

**D.** Improba; tã pulcher Mundû celabitur Ortus?  
 Nigra tegent niveum pallia Noctis Opus?

**N.** Stultitiam! Possim tenebris involvere LUCEM,  
 Unde decôris habet lux tua, quidquid habet?

Quin fugias etiam, quod sic petis? Illius ortu  
 Lucis, erunt tenebræ lux tua; tu, quod ego.

**D.** At mihi vel tanti est, Natalem LUCIS haberi,  
 Quaque, diem dici, nata sit illa DIES.

**N.** Quippe tui meriti munus. Dic, obsecro: quando  
 Prandit Adam, tempus lucis, an umbra fuit?

*Ar-* Jurgatum fatis est. Quid frustra tenditis? Esto  
*bi-* Exoriente Deo Nox, Moriente Dies.

*ter.* Sic fatis opprobrium Noctis jam cesset; & illa  
 Non pergat miserû culpa notare Diem.

AD

## Ad illud AUGUSTINI

*In mediò positus, quò me veritam nescio :*

*Hinc lactor ab Ubere ; hinc pascor à Vulnere.*

**S**Cindor, & incertū nunc huc, nunc dividit illuc  
 Audaci stimulanſ ambitione fames.  
**Hinc**, ubi Virgineò blandus Puer vberè pendet,  
 Spes vocat, & magnas prodiga jaſtat opes.  
**Quisquis** (ait) vili concretum pulvere pondus  
 Eſſe Deus cupias, hinc potes eſſe Deus.  
**Huc ades**, (ò!) Fratremq; Deū còplexibus urgens :  
 Fratrem quis hòc (clama) me neget eſſe Deū?  
**Hæc quoque**, quæ gemini protrudunt flumina  
 colles  
 Candida, prènde labris : ſunt cibus illa Dei.  
**Nec tamen** inde minor ſpes, aut minus altera ten-  
 Triſtis ubi lacerū bajulat arbor Onus. (dit,  
**Quisquis** (ait) longà nunc olim morte ſepultus  
 Ablati rcpetas gaudia læta boni,  
**Huc ades**, & totò vitam bibe mortuus ore,  
 Quam patulus dubiò fonte propinat amor.  
**Una tibi** referet pretioſi ſtilla liquoris  
 Auctius ablati gaudia læta boni.  
**Quò ferar** ; aut utrum teneam te, dulcis Jeſu ?  
 Quàm mihi vita placet, tam placet, eſſe Deū.  
**Urit utrumq;** ſimul; ſimul ambio neuter utrumq;.  
 Urit utrumq; ſimul, nec ſtat utrumq; ſimul.  
**Sanguinis ad fontè** procumbo? Lacte carendū eſt.  
 Sanguine non poſſum, ſi volo Lacte frui.  
**Jam ſcio**, quid faciam : licet alternare. bibemus  
 Nunc, ubi Mamma fluit ; nunc, ubi Vulnus  
 hiat.

In illud *LUCÆ* cap. 2.

*Claritas DEI circumfulsit illos.*

*Putà, Pastores in nocte Natali.*



Inc age, nigra, procul, cum cæcis Larva  
tenebris :

Nunc tua nox aliò quærat in orbe  
locum.

Jam nostrū geminā lustrant duo lampade Soles ;  
Alternique ferunt perpetuantque diem.

Sol novus exoritur, dum Sol vetus occubat. Illò  
LUMINE, jam mentis lumina lumen habent.

Ergo decor lucis pullum quoque tempus inaurat,  
Et caligo suas flet periisse vices.

Perge viam, cui vita via est quâ Vita petatur ;  
Jam tibi nox certum nulla moratur iter.

*Quartò Mundi die Sol & Luna  
formantur.*

**F**erre duos Soles unum sapientia Mundum,  
Stulta negat. Non est, quòd neget : ecce  
duos.

Quodq; magis stupeat Sapientia stulta ; secundū,  
Qui primò prior est, altera Luna parit.

Luna parit SOLEM ; sed quò pariente sit ipsa  
Edita, de cujus luceat ipsa face.

Lucet enim Mater LUCIS : neq; Cynthia tantū  
Irradiat cœlò, quàm micat illa Solò.

O duo

O duo decidui pulcherrima LUMINA Mundi,  
 Inde minor Majus, major at inde Minus!  
 Scilicet hæc magni sunt LUMINA Firmamenti,  
 DIA MANUS quartò jubet esse die.  
 Namque, ut septiduò rerum processit origo;  
 (Cujus pars summæ - summa quietis erat.)  
 Sic quoque septiduò rerum se conficit ætas.  
 (Cujus pars summæ - summa quietis erit.)  
 Quodque dies primo, sunt anni mille secundo.  
 Sex Natura dies, cùm pareretur, habet:  
 Dum repit, surgit, floret, stat, defluit, âret,  
 Sex habet, annorum millia sena, dies.  
 Hebdomadis longæ jam quartum quintus agebat  
 In præcep: sed adhuc millio quartus erat:  
 Figuntur magnò duo LUMINA Firmamentò,  
 Virgo ferens titulum Matris, HOMOQ; DEI.  
 Virgo, Minor Lampas; Major, de Virgine natus:  
 SOLEM JUSTITIÆ Luna Puella parit.  
 Jam frustra tenebras causeris, Terra: Videre,  
 Quisquis ad hoc lamen non videt, ille negat.

*Sphinx Sacra,*

NASCENTE DOMINO.

Qui nunquã coepit nasci, neq; desinit umquam  
 Nasci, Nascentem tempora cæca vident.  
 Nox sine nocte videt, cùm primùm nascitur In-  
 fans,  
 Qui fando noctem condidit atque diem.  
 Nascitur, æternùm natus sine matre, deinceps  
 Absque senex annis, filius absque patre.

B 3

Matre

Matre minore minor; Patri par nascitur idem,  
 Ille licet major, sit licet ille prior.  
 Nascitur in propriis alienus; nascitur exsul  
 In patriâ; servus Rex; Fabricator opus.  
 Dives inops; Pastor pecus; Hospes nascitur Esca;  
 Victima Sacrificus; qui sine labe, reus.  
 Nascitur in mortem, quò vitam Vita reducat;  
 Quò mortem faciat mortua Vita mori.  
 Hunc adeò nodum si solveris, Oedipe; matris  
 Incestu & patris qui nece solvat, habes.

*Disticha Natalitia.*

*Nox Domini Natalis.*

Non ego temporibus mutem mea tempora lucis;  
 Plus mea, quàm lucis tempora, lucis habent.

*Hyemis profundò*

*Virga Jesse floruit.*

Hunc FLOREM mediæ dura inter tempora  
 Brumæ,  
 Quàm focunda fuit, quæ modò Planta dedit!

*Solstitiò natus DOMINUS.*

Aptius hanc Anni posuisses limen, Jùli,  
 Quæ propius Solem reddit utrumq; , diem.

*Non.*

*Non erat locus in diversorio.*

LUCAE 2.

Quem paritura locū, Virgo, petis, abnuat hospes:  
Nam tua quis capiat pondera, Virgo, locus?

*Beth-lehem, i. e. Domus Panis,*

*Patria CHRISTI.*

Non illò casus dixit me nomine: PANEM  
Quæ genui, Panis quis neget esse domum?

*Stabulum.*

Quid tibi cum stabulò? Regem magis aula de-  
cebat,

Annè, PUER, positò Principe, Pastor eris?

*Fascia.*

Fascia, quæ PUERUM stringo pannosa recentem,  
Quàm modò sim trabeis invidiosa Ducum!

*Præsepe.*

Pastorem stabulum; Panem Domus inclyta Pa-  
Præsepes pecori PABULA læta fero. (nis;

*Virgo pariens, nec parturiens.*

Virgo parit, quæ virgo tulit, secunda doloris,  
Et prius est mater, quàm peperisse sciat.

B 4

Mater

*Mater adorans Filium.*

Procidit, & manibus Partum pia Mater adorat:  
 Clauserunt dubiæ gaudia vocis iter.

*Joseph festinans lucernam  
 accendere.*

Currit, & è saxo custos petit anxius ignem.  
 Quid fatagis? Lux est, quem tua Sponsa  
 parit.

*Joseph adorans.*

Procumbens PUERO Nutricius: O, mihi quanti  
 est

(Inquit) vel credi me potuisse patrem!

*PUER vagiens.*

Flet, simul - ac tetigit mortales PARVULUS oras:  
 Quæ nasci fecit, plangere causa facit.

*Lacryma PUERI.*

In celebrem durat cervi se lacryma gemmam:  
 Hujus quod pretium, si quoque duret, erit?

*PUER Matrem blande intuens.*

Flevit; nunc Matrem blandis compellat ocellis.  
 Non erat hoc risus: sed tamen instar erat.

*In idem.*

Flevit; nunc gemini radiant post nubila Soles.  
 O mihi tam placidum quæ ferat aura diem?

*Bos & Asinus.*

Bos Asinusque suâ dum non sua Pabula cernunt  
 Lintre, stupent, trepidum conduplicantq; genu.  
 Ange.

*Angelus Pastoribus nuncius.*

Regibus est astrum, Pastoribus Angelus index:  
 Tam magis hic humiles quærit amatq; PUER.

*Pastores PUERUM venerantes.*

Pastores AGNUM proni venerantur; & orant,  
 AGNUS ut esse suas se patiatur oves.

*Circumcisio PUERI.*

Dat, feriente petrâ, PETRA flumina. Parcite: stilla  
 Et vitam & veniam plus satis una dabit.

*In eandem.*

Est (fateor) Vitis, properâ quem falce putati s:  
 Vite sed in tenerâ quid facit illa manus?

*Calendâ Januariæ, dies Cir-  
 cumcisionis.*

Quàm malle magno JESU de nomine dici,  
 Sanguine me sacram qui jubet esse suo!

*Anni initium à sanguine Sal-  
 vatoris.*

Christiadæ, non est mollem speremus ut Annum,  
 Auspice qui PUERI sanguine durus init.

*Aliud.*

Christiadæ, mollem speremus fortiter annum,  
 Innitiat Mundi quem medicina Cruor.

*Octavus dies Circumcisionis**PUERI.*

Optima in Octavâ vocum concordia: primus  
 Octo Cubus. Iatæ symbola pacis habes.

*Et quidem character nominis ejus: 888.*

*Vocatum est nomen ejus JESUS,*

*LUCÆ 2.*

*Nomen habes, JESU, dulcedine dulcius ipsâ:  
Sed tamen hoc, fusô sanguine, nomen habes.*

*Stella in Oriente visa.*

*SOL PUER est. viden, ut Nascentem Lucifer ante-  
- Ambulet & dominam clamet adesse facem?*

*Magi veniunt ab Oriente.*

*Ad LUCEM properant ab Eoô cardine Reges.  
Quid? parit occiduus jam quoq; cardo diem?*

*Tres offerentes.*

*Tres tria dona ferunt, TRIADOS mysteria Magnæ;  
Quem Numerum medius dividit ille PUER.*

*Tres tria ferunt Munera.*

*Tres tria dona ferunt HOMINI, REGIQUE; DEOQUE;  
Myrrham HOMINI, REGI pondera, thura DEO.*

*Pretiosa munera.*

*Aurum, thus, myrrham dives ferat arca potentis;  
Dum placeat munus, \* litera trina, meum. \* COR*

*Magi inquirunt Hierosolymis.*

*Nascentem Vitam, quæ perdet, in urbe requirunt.  
In tumulô cunas quæritis: ite, Viri.*

*Stella latet declinantes Hierosolymam.*

*Dum pietas terram, cœlô satis indice certa,  
Consultit, à cœlo deseritur pietas.*

*Stella*

*Stella iterum apparet deserentibus**Hierosolymam.*

Dum pietas terram damnò jam docta relinquit,  
Indicium cœli pro pietate redit.

*Procidentes adorant Puerum.*

In gremiò Matris positum breve Numen adorant.  
Quid facimus? Soliò jam sedet ille Patris.

*Angelus in somnis apparet.*

Sideris elinguis nuper schola, voce docentur  
Angelicâ. pretium tam citò cultus habet.

*Jubet, aliâ viâ redire in regio-  
nem suam.*

Quisquis iter pietatis inis, & culmen anhelas  
Tangere, ne relegas anteriora, cave.

*Fuga PUERI in Ægyptum.*

Unde PUER, vel quò fugiat, qui semper ubiq; est?  
Attamen esse PUER desinit, unde fugit.

*Exsilium PUERI.*

Discite, Christiada, quæ vitæ regula CHRISTO  
Sub duce: vix illam cœperat, Exsul agit.

*Herodes elusum se videns furit.*

Fit lupus, & rabie Vulpes elusa ferescit.  
Nil agis, impietas æmula, quidquid agas.

*Infanticidium.*

Dum sequitur profugū patriota exercitus AGNUM,  
Quò leuius currant, deposuere togam.

*Amphis-*

*Amphisbana cum Ænigmate.*

Aura subit NATUM, siccis mutantibus arvA.  
Ira malò Sodomis i modò sola marl.

*Inclinatio PUERI.*

Sit puer, & PUERI; PUERO mea Musa loquatur,  
Et PUERUM; sit te digna, PUER, puero.

*Quis jam non speret, quid non speret  
à Deo puero?*

Quis veniam, pacem, regnum desperet? haberi  
Omnia quò possunt dante, sit, ecce PUER.

*Iterum.*

Sunt Deus & pueri faciles quæcumq; petenti:  
Jam quid erit, quando sit puer ipse Deus?

*CHRISTE PUER,*

Si placeo, neque nulla manet mea carmina mer-  
ces;

Grandis erit merces hæc mihi, quòd placeo,

*Vale, PUER; & fac, ut valeam.*

Ah, multum formose vale; vale, dulcis Jësu:

Tu quoque, quò valeam, dic mihi, quæso;  
Vale.

AMPLIS.



AMPLISSIMO NOBILISSIMO;

*Viro ac Domino,*

DN. FOPPIO ab AISSEMA,  
EQUITI IN ALSEM,

*Ibustri s: Ordinum Belgicorum ad Anzeaticas*

LEGATO,

DOMINO SVO AC MECOENATE

*Votum*

ANNUM NOVUM SEMPER NOVUM.



*Ec modo, Sponse Gravi quarens pro Coniuge*  
*tectum,*

*(Ut nusquam invenias) crede, quod in-*  
*venies.*

*Nec Matri stabulum, nec opus prae sepe PUELLO:*

*Et thalamum & cunas FOPPIUS ecce dabit*

*Hospite, Virgo, PUER, Custos, gaudebitis illò:*

*Nam solet hoc Pietas hospite lata frui.*

*Quod tamen hospitij pretium, si quaritis: ingens*

*Æstimat, hospitium promeruisse DEI.*

*Esto, PUER, pretium, te semper ut hospite felix*

*In terris, cælo post sciat esse vices.*

*Hunc Annum Magnâ modò cum Consorte recentem*

*Et sibi iucur dum discat, & ire suis.*

CELE-

Celeberrimæ ANZEATICARUM  
HAMBURGO

Votum.

ANNUM NOVUM BONIS VETE-  
RIBUS MELIOREM.

**A** Falsò nomen, felix AMMONIA PYRGE;  
Sed magis à VERO rem JOVE spernq; capis.  
Te pietas & opes, illò donante, coronant:  
At matri ne sit filia dura, cave.  
Mater opum pietas. illam quàm sepe peremit  
Filia? Ne perimat, te patiente, vide.  
Quò videas, Dii lucet fax aurea Verbi:  
Quò cupias, eadem fax satis ignis habet.  
Hac mea Vota; simul, quò nunc augetis, ut Annus  
Latus, & annorum mille choragus eat.  
Hic tibi Quadrigam, veheris quàm maxima, justo  
Instaurans numero gaudia plena ferat.  
Ille tribus quartum dignum tribus addat, & illo,  
Invida quem queres fata tulisse, viro.  
Magnus erat: magnum videas, quemcunq; reponet.  
Et pius: accipias, quem dabit ipse, pium.  
Ut tamen in solidum compenses damna prioris,  
Anne, simul doctum palladiumq; dabis.  
Odi Mercurium, sociam nisi Pallade pulcher  
Ambulet, & Musis gaudeat esse domi.  
Stultitiam patiuntur opes faciuntq;, Minervâ  
Exsule: Nil sapiens hac sine, quisquis HABES,  
Ergo ducem referat, qualem prior abstulit annus,  
Hic novus, & quartum det tribus esse parem.  
Salta.

*Saltabunt lata cithara cum Patre Puella,  
Mercurioq; feret basia casta Soror.  
Tum Schola grande decus neq; vanum nobilis urbis  
Præteritos jubeat longius ire metus.*

S. P. Q. H. Inclyto

Vota:

ANNUM ET ANNOS PRIMI SÆCULI.

COSS: **N**ucleus egregia, jam nõ nisi Ternio, Gentis,  
Et Conscriptorum gloria prima Patrum,  
Este, quod estis. Habent tristes ea tempora curas:  
Sed solet hic magnis mentibus esse cibus.  
Non finet ille PUER duro succumbere fasci,  
Vos reges populo qui jubet esse suo;  
Quæ modò tres gelido properatis ab axe videre  
Non sine muneribus Regia Triga piis.  
Vos quoque Stella docens ad LUMEN luminum  
ducit,

PARVUS ubi gremiõ Virginis ille sedet,  
Mittet adoratus, quò constet forma regendi  
Indice; qua non sit, quæq; tenenda via.  
Qui populo turbas; qui manibus arceat hostem;  
Omnia cum læta qui bona pace ferat.

DOCT: **V**os quoq; supremã redimiti tempora laurõ,  
Seu Jūs patronos, seu valitudo colit,  
Cultores PUERI pleno PUER obruat anno,  
Et miseris certos præstet adesse deos.

PAST: **N**ec minus, ð speculã positi custodia sacra,  
Quis divina tenet sollicitudo gregis,  
Curritis obscura dura inter frigora noctis,  
Et PUERO primi fertis honoris opus.

Ferte;

Ferte; P U E R referet manibus bona munera  
passis,

Et dabit à caulis posse movere lupos.

SYN: Præterea Gemini, magni velut ora Senatus,  
Hinc rebus Tutor major, & inde minor;

SEN: Tum duodena Virum juga bis, totidem urbis  
ocelli,

Quorum consilio statq; stetitq; salus;

EQU: Deniq; qui pulchrâ numeratis origine gentē,  
Pro patriâ forti; Pectora prompta manu;

Este Viri, & claris famam protendite factis,  
Annus & hic PUERI munere latus eat.

LIC: Quid etiam mediâ redimiti tempora lauro,  
Grandis Apollinei fama decusq; chori,  
Dum verâ titulos comitis pietate decentes,  
PARVULLUS undantes farciat ille sinus,

MER: Quæis pariunt blandū incrofa negotia quæstū.  
Crescite; dum veras plus cumuletis opes.

MECH His quoq; callosis qui durant artibus artus,  
Prosperet, & vitâ spectet utramq; labor.

VIRI. Deterior Sexus meliorem habeatis amicum;  
FEM: Positis, melior, deteriore frui.

SEN: Ætas inferior majorem suspice: Major

JUV: Luceat, ad mores hunc præeatq; bonos.

PAV: Nec vos prætereant inopem mea vota catervâ:  
Non inopem, ut valeant, quod mea vota  
velint.

OMN: Omnia sint omnes; sit in omnibus omnia  
CHRISTUS,

Et superet donis, qua peto tanta, suis.

F I N I S.









*Stella iterum appare**Hierosolyman*Dum pietas terram damnô ja  
Indicium cœli pro pieta*Procidentes adora*

In gremiô Matris positum bre

Quid facimus? Soliô jan

*Angelus in somnis*

Sideris elinguis nuper schola

Angelicâ. pretium tam

*Jubet, aliâ viâ redi**nem suam*

Quisquis iter pietatis inis, &amp;

Tangere, ne relegas an

*Fuga PUERI in A*

Unde PUER, vel quò fugiat, qu

Attamen esse PUER defini

*Exsilium Pu*

Discite, Christiadae, quæ vitæ

Sub duce: vix illam cœp

*Herodes elusum se v*

Fit lupus, &amp; rabie Vulpes elusa

Nil agis, impietas æmula

*Infanticidium*

Dum sequitur profugû patrio

Quò leuius currant, de

